

Post Hemum Franciscus Diedus & Franciscus Justinianus eo munere apud Regem sunt functi. Novissime vero, Scodrensi obsidione nunciata, Patres Sebastianum Badovarium cum ingenti auri pondere ad illum miserunt. Is sub pri-  
mum accessum, non magis auro quam ingenii dexteritate, ita Regis animum in omnes partes versavit, ut conti-  
nuo sumptis armis, tantum terrorem Othomano injecerit,  
ut per literas Eunuchum ex Scodrensi obsidione revocarit.  
Perrexit Patrum decreto Badovarius apud Regem esse,  
fuitque apud illum biennio & amplius, quo sane tempo-  
re multa præclara Pannon facinora in Turcos edidit. Nam  
præter quod sexies prospere adversus eos dimicavit, Sabazam oppidum munitissimum cum mille ex regia cohorte,  
quos Janizaros vocari diximus, Othomano ademit. Cæte-  
rum, illato Stephano Vaivodæ bello, quum hostis Zuza-  
nam urbem nobilissimam ingenti armorum apparatu op-  
pugnare adortus esset, audito Pannonis motu, operibus bel-  
licis impedimentisque relictis, soluta repente obsidione,  
turpi fuga inde abiit. Atque ita sane evenit, ut aliquan-  
diu res Veneta hujusmodi præsidio defensa, nullum pror-  
sus ab hoste incommodum acceperit. Quo factum est, ut  
Venetis auctoribus communi plurium Italiæ populorum ac  
Principum nomine centum aureorum nummum millia per  
Arietensem Antistitem & Antonium Vieturium, qui Ba-  
dovario successit, sint ei in Pannoniam missa. Solimanus  
ab Othomano revocatus, machinis continuo distractis, ter-  
tio ferme mense, postquam eo venerat, soluta obsidione,  
in Macedoniam concessit. Hoc magis placet, quam illud  
quod ajunt quidam, eum territum quod in Italia ingen-  
tem armorum vim in se comparari audiverat, obsidionem  
soluisse. Scodrenses, quorum supra duo millia diversis ca-  
sibus occubuerant, quum ad id inopiæ aquarum ventum  
esset, ut vix modicum quid singulis distribuendo, tres ad-  
huc dies sufficiæ crederentur, abeunte hoste, præcipi-  
tes fitibundum agmen ad subjectum flumen ruunt, deside-  
ratamque multis diebus aquam tam cupide hauriunt, ut  
multi ea repleti, stupidi, rigidibus membris, statim exani-

*Scodra ob-  
sidione job-  
vitur.*

mes